

1559

*Herculis
Ferrariae
Ducis obitus.*

*Alphonfus
Herculis pa-
tri succedit.*

*Jacobus
Surianus,
& Lazarus
Mocenicus
oratores ad
Alphonsum
Ferrariae
Ducem.*

*Emanuel
Philiber-
tus, Sabau-
dia Dux,
suum prin-
cipatum re-
cipit.*

*Philippus
Mocenicus
ad Sabau-
dia Ducem
orator.*

*Laurentii
Prioli Du-
cis obitus.*

*Hierony-
mus Prio-
lus Dux
fratri Lau-
rentio succe-
dit.*

*Pii IV.
Pontificis
electio.*

Per eos quoque dies Hercules Ferrariae Dux excessit e vita, Alphonso filio majore natu herede relicto. Ad eum legati duo officii causa designati Jacobus Surianus, Lazarus Mocenicus, qui perillustri comitatu, ac cultu legationis munere perfuncti sunt. Emanuel quoque Philibertus ex Hispania in Italiam reversus, Allobrogicum, ac Subalpinum principatum a Gallorum Rege ex pace Cambresii inita restitutum suscepit: Philippus Mocenicus gratulationis causa missus, ad legationis ordinariae munus obeundum apud illum manere jussus. Ne ab hoc quidem tot funerum cumulo Venetiarum Princeps sejungi potuit; nam cum triennio summa cum laude Reipublicae praefuisset, vita functus est: a Leonardo Justiniano, Laurentii filio, in Gemellorum aede laudatus, ac divi Dominici avito tumulo conditus. In ejus locum Hieronymus Priolus, frater major natu, divi Marci Procurator, est suffectus. Interea Romae, evocato cum praefidiis Ascanio Corneo Duce, tumultu plebis compresso, in Vaticanum ad novi Pontificis celebranda comitia Cardinales nonis septembris convenere; quae ob dissentientes sententias, atque illorum, qui summo ad eam dignitatem nixu contendebant, studia perplexa admodum, ac diuturna fuere. Senatus per literas, perque Aloysium Mocenicum legatum cum Cardinalium Collegio vehementer egit, ut, diffidiis compositis, in eum vota, ac studia converterentur, qui afflictæ, ac perturbatae christianae reipublicae succurrere, religionem in plerisque provinciis debilitatam, ac prope ruentem farcire, ac pristino decori restitutam tueri, atque augere posset. Tandem vero, quatuor elapsis mensibus, Joannes Angelus Medicus Cardinalis profecta Natalis nocte omnium consensu, cunctis ad illius genua provolutis, Pontifex renunciatus est, atque Pii Quarti nomen suscepit.

M. D. LX.

1560

DUm Reges veteribus odiis perciti inter se plusquam civilibus dissensionibus digladiarentur, incepta jam a Paulo Tertio Pontifice Maximo ante decem atque octo annos in Tridentina civitate Synodus, ob bellorum tumul-